

415
45.

723

III
1925

DE
SANCTIS
COLUMNARIBUS

BREVI SCRIPTURA
DISSERIT

JUXTAQUE

NOBILISSIMO ET PRÆSTANTISSIMO

V I R O

CHRISTIANO GOTTL.

JOECHERO, LIPS.

IN BASIN MAGISTRORUM
ACAD.

FELICITER ASCENDENTI

ET FATA ET MERITA CO-
LUMNIS DIGNA

APPRECATUR

M. URBANUS. GODOFR. SIBERUS,


SS. THEOL. BACCAL. ET AD D. TH.

ÆD. DIAC.

LIPSIE,

Impresit ANDR. MARTIN. SCHEDIUS.

MDCCLXIV.



DE
SACRIS
COLLEGIIS
DEBNA SERVITURA
DIA ERIT
Nobilissimo et Præstantissimo
VIRI
CHRISTIANO GOTTLI
JOSEPHO J. I. I. I.
IN BASILI MAGISTRORUM
ACAD
ET ALIA ET MERITA CO
MEMORIAS GODOFRIDUS
MEMORIAS GODOFRIDUS
MEMORIAS GODOFRIDUS
MEMORIAS GODOFRIDUS
MEMORIAS GODOFRIDUS
MEMORIAS GODOFRIDUS
MEMORIAS GODOFRIDUS
MEMORIAS GODOFRIDUS
MEMORIAS GODOFRIDUS
MEMORIAS GODOFRIDUS





Non errant, neque superbiæ crimen sube-
unt, qui recto itinere DEum ducem se-
quentes ad eruditionis palmam pergunt, &
ad honorum fastigia ascendunt, seque co-
lumnarum instar aliis ad imitationem &
admirationem sistunt. Id quod inde com-
probatum eo, quod ipsum Numen præcipuos mandato-
rum suorum Interpretes elogio columnarum insignivit:
alii virtutes suas, robur, constantiam, invictum animum
eo simulacro ostenderunt. Quorum istud Salomôn omnis
sapientiæ Signifer fecit, dum sua Patrisque merita sub co-
lumnarum Jachin & Boaz mole exhiberet; quam non ineptam
Joannis Mejeri Batavi sententiam Chronico Ebræo-
rum inditam amplector: alterum divinus & ferventissimus
vates Jeremias expertus est, quum ei columnæ nomen, mox
ipsa etiam virtus divinitus concederetur. Atque idem illi
honor sanctissimis Christi Apostolis Joanni, Jacobo, Ce-
phæ contigit, quos veritatis divinæ præcones, non mul-
tum a Joanne Antesignano distitos gentium doctor $\epsilon\upsilon\lambda\gamma\epsilon\varsigma$
appellavit, significatu prorsus eminentiore, quam qui *Eduar-
do Leighio* Anglo placuit, quandoquidem divus ille Tarsensis
nil minus quam graphium, ista scripturus, cogitavit. Quo
tamen loco Lectorem monendum censeo, laudem equi-
dem divis Apostolis, non tamen venerationem DEo debi-
tam, sub Columnarum titulo delatam esse, sicuti sequior
ætas, non sine justa reprehensione fecit. * Interim dum
sancti homines $\epsilon\upsilon\lambda\omicron\iota$ & dicerentur, & essent, seque $\tau\omicron\iota\chi\epsilon\varsigma$

A 2

ακα.

* *Josephus Thessalon.* Hymnographus, laudes debitas DEO
ad Sanctos vertens, quod contra Hymni naturam Cardi-
nalis Bona recte cen-uit, ita d. vos Apostolos compellat,

ἀκαταμάχιστα exhiberent: inepta ratione alii existimarunt, sese tum demum columnas fore, si arbores, Bases, Columnas, turres conscenderent, eque iis se conspiciendos darent, ac per aliquot lustra in iisdem commorarentur.

Quorum ut inutilis opera tanto magis pateat, & alia meliorque ad fastigium via nostro tempore quaeratur, ista quidē Scriptura Sanctos illos Columnares complectar, præcipuumque vivendi morem nondum satis cognitum describam, simul illud agens, ut quæ sparsim a Christiano Lupo Yprensi, aut Gisberto Voëtio adducuntur, vel distracto etiam in partes studio referuntur, hic suis expressa coloribus reperiantur.

In ipso operis ingressu istud diligenter moneo; antequam illi Monachi columnas ascenderent, extitisse, qui in arborum excelsarum cacumina convolarent, interque foliorum umbras, aura, quod sperabant, mitigata fruerentur. Strabo, gravis fidusque rerum Scriptor, proculque a narrationibus Herodoti Palæpatrique alienus Moyfiacos populos* refert id ipsum fecitasse. Erat gens Armena & Septem paganorum titulo ab aliis distincta, cujus feritatem Pompejus expertus est, dum ex arboribus aërei cives descenderent, militesque nil tale opinantes contrucidarent. Observamus ex illo Strabonis loco arbores eas πυργίς dictas esse, ideo, quod turrium altitudinem æquarent: quod Interpres non satis intellexit, ex arboribus turres construens, falsas & in æthere fluitantes. Harum mores gentium Caligula imitatus est semel, Alis a petulantia sumtis: hinc in arbore convivatus, quam, nidum deinde suum dixit.

Str. Lib.
XXII. p.
825.

Davides
Thessal.
in arbore.

Exinde Monachorum singularitas ad arbores accessit exemplo in *Davide Thessalonicensi* obvio, quem

Ephes-
in Paracletico p. 366. Σαλισοί έννυ πάθεισι ψυχόνμικ ση-
ρίζατε οι τής Εκκλησίας άρραγής θεμελίου, οι σύλοι οι
άσεισοι, τὰ τών πιτών περπύργια.

* De Moyfiacos plura Boylius, nec inerudita supplebit.

Ephemerides Moscho Græcæ & profitentur, & addita imagine ostendunt. Magna illius Laus in Typicis Menæisque Græcorum regio ipsam vati æquiparantium: nec minor existimatio apud Josephum Hymnographum, nobis in Melodis Græcorum curatius recensendum, qui ad miram vivendi rationem respiciens ita eum depingit:

καθάπερ ὄρεσι εὐκείλαδ' ἐν ἀναβάσει φυτῶν καλιάν πάτερ ἔπηξας ἰὼ κρύβ' πηγνύμεν, καὶ τῶ θέρει καυσόμεν, χρυσᾶς ἐντεύθεν ἔλαβες πτέρυγας τῆς ἀπαθείας καὶ τελειώτητος, καὶ πρὸς θράνιον ὑψ' κατασκηνώσας πάντοτε δεόμεν τῶν ἐπιφαιδῶν σου. Hæc Josephus non expresso arboris nomine, quod alter Encomiastes Græcus Anonymus supplevit in Elogio:

Hic, ait, ex Oriente genitus Occidentem illustravit instar syderis multifarie splendentis. Etenim a teneris unguiculis temperantia & puritate subjugans carnis passiones, visus est quasi angelus corpore amictus. Cum autem in amygdalino trunco ἐν ἀμυγδαλῆς φυτῶν nidulum veluti avis canora sibi compegisset, omnes quidem sermonibus oblectabat, ipse vero mentem suam veluti alatum extulit in sublimitatem. Quæ Anonymi verba notanda sunt, declarantia, Davidem Armenum patrium vivendi genus retinuisse, non novitate in id abreptum, neque propterea angelicæ vitæ testimonium inde petendum esse. Nugas certe egisse putandi sunt Papienses, quando Jacobo Gvalla teste in Sanctuario Papiensi Davidem inter Patronos recipere, divinisque honoribus afficiendum sanxere.

At enim vero si *S. Gerlacum diu postea in quercu habitantem demseris, paucos illius moris sectatores Davides reliquit, ideo forte, quod tempestatibus & foliorum destillationibus obnoxii essent, unde columnas potius sive turres sibi elegerunt, ad quas tamen sensim

A 3

per-

* De Nestingis, stirpem a puero, in nido excelæ arboris reperto, ducentibus vid. Dugdalius Monast. Anglic. T. I. p. 256.

Theodor.
Siceota in
κλώβω.

perrexerunt. Etenim aliqui caveas reticulario opere e ligno aut ferro constructas ideoque perflabiles erexerunt, quas sequior ætas, quum Theodorus Siceota talem inhabitaret, κλώβωξ dixit, vocabulo non admodum noto aut usitato, atque inde divinationibus obnoxio, at tamen ab Interprete Pachymeris *Petro Passino*, tum *Historiographis Sanctorum*, *Caroloque Fraxineo* affatim explicato. Quia vero κλώβωι in depressio terræ Solo ita constituebantur, ut cominus adiri & in colloquium sollicitari possent, displicuit modus, magisque excelsa statio petita est, in qua confluyente etiam populo securi & sine tumultu stare, & suis, quas jactabant, precibus vacare possent.

Theodulus
Epar-
chus Sty-
lita.

Eccquis Stylitarum primus debeat citari, difficile definitu, ideo quod eorum temporum historia alios ante Symeonem Seniore, aut æquales certe, sed plerumque anonymos producat. In ipsis Seculi V. primordiis imperante Theodosio M. Theodulus Eparchus fasces sibi concreditas deponens, columnamque ascendens, sex lustra in eadem commoratus, nec nisi pane & vino Eucharistico victitare solitus, DEum tandem petiit, ut quem sibi æternæ felicitatis gradum ista vitæ duritie commeruisse, præsignificaret. Cumque *εις σύνχυσιν ψυχικὴν*, quæ verba sunt Synaxarii, percepisset, se ejusdem conditionis cum cytharoedo Cornelio Panduro Damasceno, lætius vivente, sed uno *εὐεργημάτων* in gratiam cœlestem transcripto, fore, expavit, nec tamen prudentior factus, stolidus columnam repetiit, pauloque post expiravit, a Menæis Menfe Decembri sequenti inscriptione honoratus:

Menæa
M. Dec,
p. 12.

Ἐπαρχίαν γῆς ἑρανῶν ἐπαρχίας
Ὁ Θεὸς ἀντέδωκεν ἐμφρόνως.
Principatum terræ cum principatu cœli
Theodulus commutavit provide,

Pru-

Prudentius hercle ceteri Columnicolæ facturi erant, si ex instructione Theodulo cœlitus data sapuissent, vitamque difficillimis nugis plenam cum vita communi, sed frugi, inque civium commoda cessura commutassent.

Cyrillus Schytopolitanus tempore S. Sabæ Styli-
tam profert Cosmam, cujus propter columnam Joannes
Archiepiscopus Hierosolymitanus ad XL. orgyas aquam
quæsiturus foderat, spe sua nihilominus deceptus, quæ
in Styliæ meritis reposita erat. Jam quum certum sit,
Sabam Seculo V. vixisse, Cosmam vero jam diu ante Sa-
bam in columna stetisse, nemo utique dubitabit Styli-
tarum genus Symeone Seniore vetustius esse habendum.

Cosmas
Stylita.
Coteler.
Monum.
Gr. T. 3.
P. 334.

Ipsæ vero etiam Sabas quidni Stylitis accenseri
queat? quippe qui magnam vitæ partem in turri Lau-
ræ addita peregit, e qua solitudinis suæ terminos pote-
rat contemplari. Hoc nempe tum in more fuisse po-
situm deprehendo, ut Abbates non in communibus
cellis habitarent, sed in excelsas turres abirent, forte
Persarum quadam persuasione moti, ac si Numini propin-
quiores forent, tum ut *ἰπισκοπήν* & animo & oculis
exercerent. Ex hisce speculis quum aliquando procul
venientes, & aliquot lapidum intervallo distantes præ-
viderent, vel ex tessera sibi invicem data cognoscerent,
eorumque adventum prædicerent, factum, ut vaticinio-
rum ac Prophetiæ gloriolam apud stolidos & simplices
captarent. Ejusmodi turrim in Monachorum gratiam
Imperatrix Eudocia Monachis admodum benigna Secu-
lo finiente IV. exædificaverat, *ἐν ὑψηλοτέρῳ πᾶσις τῆς*
ἀνατολικῆς θυνῶ quam deinde duo Monachi Nestoria-
ni inhabitaverunt: possessione paulo post ad Ioannem By-
zantium, e seculari militia ad solitudinem confugien-
tem, virum *Φρονήση θεία κεκοσμημένου* translata, qui de-
inde humiles cellas turri circumjecit, Lauramque con-
stituit. Huc pertinet Laura turricularum, a Jacobo ad
Jorda-

S. Sabas
Stylita,

Cotel. T.
III. p. 278.

- Jordanem fluvium erecta, quæ plures continuisse turres vel suo nomine declarat. Et habuere posteriora secula Monachos qui a turrium inhabitatione Pyrgiotæ cognominati sunt, quos inter forte, referendus Andreas
- Menæa** τῆ πυρῆ inter Hymnographos Græcos, perperam &
Gr. Febr. non sine confusione a Leone Allatio Pyrrhus dictus,
 & alibi. quum hac ratione non διδύκας ἢ πυρῆ, sed ἀνδρέας ὁ πύρ-
 ρῶς scribi debuisset. His majorum exemplis Sabas impulsus turrim in excelso scopulo erexerat, addita ratione, τῆ
 τόπων ἀπαρραλείπτῃ ὄντος, s. quod locus inexpugnabilis es-
 set, quamvis id invitis Monachis fecerit, quibus invi-
 sum erat Inspectorem omnia rimantem, & gressus ve-
 luti dimetientem sibi impositum habere, unde turrim,
 in qua Preces & Canonem five Stichologiam recitare
 consueverat, funditus destruxerunt: τὸν πύργον καὶ ἀ-
 σφῆφρον ἕως ἰδιόφως καὶ ῥίπτουσι τὰτε ξύλα καὶ τῆς λίθου
 κάτωεις τὸν χεμαρρόν. De Theodosio Pyrgiota, Præful-
 le Syracusano, quem Escobarius in Catalogo Præfulum
 Syracusanorum refert, non dicam, ideo quod incertus,
 vel ad Seculum VIII. pertineat, Hinc autem constat
 XIV. Jun. quam vere scripserit Evagrius Epiphaniensis statuendo
 p. 788. Simeonem Stylitam Seniore[m] primum omnium vitam
 columnarem invexisse, quamque accuratum sese Chri-
 stianus Lupus Yprensis præstiterit, suum suffragium ad-
 dando: neque enim id omnino aut sine controversia as-
 seri potest, nisi dixeris Symeonem ea re novitatis aucto-
 rem esse, quod cum illi πύργος & σύλος haberent in medio
 monachorum circumhabitantium, ille solus, inque tur-
 ri sine tecto, aut sub eo tantum umbraculo, viveret,
 quod poterat removeri, quem admodum postea dicemus.
- Symeon** Post illos Pyrgiotas five Turrícolas Symeon Seni-
Senior or, solus columnam habitare cœpit Seculo V. quam
Stylita. tamen sibi primo non admodum excelsam fecit, sed
 ad IV. pedum altitudinem erectam: unde & talis
 fug-

suggestus non turris neque columna, sed βάσις modo dicebatur: talis erat qualem sibi Joannes in regione Tiberina Seleucia contermina erexerat quamque Nicephorus Magister Antiochenus cognomento Uranius describit in vita Symeonis Stylitæ Junioris *προςβαίνων τῶ ἄρει ἐυρίσκει βραχύτι μοναστήριον ἐν ᾧ τις Γεωάννης ἀρετὴν ματιῶν ἀνῆλθε ἐπὶ βάσεως ἰσάμεν* *Θ. ἡν.* Quam vocem cum in Interpretatione Conradus Janningius reddere potuisset, Basin tamen latina civitate donatam retinere maluit, jure optimo, quemadmodum ex Polluce, & Edmundi Figrelii de Sta- Figrel. p. 219, 220.
 tuis eleganti libro constat. Idem Nicephorus accurate *βάσιν ἀπὸ τῆ κίονος* distinguit, quando Symeonis ex basi vid. Act. S.M. Ma-
 in columnam transgressum notat: *εἰς τὸν κίονα ἀνάγασιν ἐκ- 10 die
 τὸν ἐπὶ τῆς βάσεως χρόνον διηνοκῶτα.* Ejusmodi Basin Syme- 11 p.
 on ingressus aliquandiu stetit, atque illius vitæ experi- 12 p.
 menta fecit: mox altiolem, rursus excelsiorem petiit, 13 p.
 tandem excelsissimam & XXXVI. cubitos superantem 14 p.
 ascendit, modo Antonio, Theodoreto aut Metaphrasti 15 p.
 fides sit habenda. Ceterum aliqui parum providi istam 16 p.
 columnam, quæ reipsa angustior & pinnata turris erat, 17 p.
 solidâ sibi & ὀλόσφουρον, nulla cavitate relicta fingunt, quum 18 p.
 revera in interiore ambitu per Scalas ascendi posset; ha- 19 p.
 bebatque in summo fastigio ambitum, quem sequiores 20 p.
 Pectorale dicunt, ne per tempestates perq; vertiginem de- 21 p.
 turbarentur. Ac licet careret tecto, ejus tamen loco alii 22 p.
 illius Imitatores σκέπη δερματίνην adhibebant, cujus au- 23 p.
 xilio a nimio solis aut tempestatum æstu defenderentur. 24 p.
 Raderus in Viridario non satis accurate istas columnas 25 p.
 descripsit, quando quidem supremum stationis spatium 26 p.
 adeo constrinxit, quasi nec standi nec sedendi locum 27 p.
 habuerint, atque præterea omne illorum tegumentum 28 p.
 sustulit, præcipiti, quod reor judicio, quum certum 29 p.
 sit, plures aliquando simul Episcopos ascendisse, atque 30 p.
 sacra Mysteria cum Symeone celebrasse, quibus peragen- 31 p.
 dis

B

dis utique spatium, & securus standi locus requirebatur.

Quod ad mores Symeonis primi pertinet, erat sane ipsi ingenium atrox, & gloriae insolita plane ratione, cupidum: vestitus, cucullus, barba, catena, omnia mira: vesana corporis maceratio, furiosum membrorum dispendium, insolita abstinentia, inaudita stationes, quas nescio an satis tuto ad imitandum aliis proponas: mirae & millies repetitae *περσικυήσεις* non nisi superstitionem spirantes, impius matris & saniora suadentium, qualis Blastus erat, contemptus & nihil non quod christiana libertas non ad Essaeorum aut Phariseorum scholas ablegasset. Ac nihilominus tamen ista laudant Antonius, Symeonis familiaris & fraudum adjutor, modo non recentior aliquis Impostor sub isto nomine lateat: Theodoretus doctus alioquin Praesul, sed valde credulus, hocque loco sine dubio insaniens: Nicephorus, Symeon Metaphrastes, Leo Allatus in Symeonum scriptis, Bellarminus, Alanus Copus, qui utinam Magdeburgensium verbis credidissent, aut vitam Symeonis cum regula Evangelica composuissent. Sed his delirantibus viris, & anili proclivitate desipientibus mirum non est, summos orbis Christiani moderatores fuisse eo abreptos, ut a tali viro & pacis firmandae consilia, & sanitatis auxilia & vota etiam parum profutura expeterent, sollicitaque cura preparent. Nobis parum credibile videtur, in tantam superstitionem quicquam divini luminis aut opis derivari potuisse, praesertim quum eventus quodammodo doceat, homines caecos in tantam sui persuasionem fuisse abreptos, ut de Symeone ea crederent, quorum alius, Lynceo animo praeditus, ne micam invenisset.

v. Lupus
in Not. ad
Epistol.
Concilii
Ephesini.

Nicander
Stylita
Seculo V.

Dum Nilus Monachus religionis & doctrinae fama floreret, caput suum efferre gestiebat Nicander Stylita, ambitiosus homo, & mulierum amicitias parum
pudi-

pudicarum captans, quas extra conjugium Paulus damna-
 verat. Ad hunc severus ille morum magister Nilus duas
 epistolas scripsit lectu dignas vanitatemque Styliarum
 declaraturas. Priori Lib. 2. Num. CCXIV. ita ait: Non
 qui se ipsum commendat, sed quem Dominus com-
 mendat, probatus est, qui enim se exaltat, humili-
 bitur. At qui nihil celebrandum vel gloriosum perfe-
 cisti (μηδὲν κατορθώσας ἐπαυξήμενον ἢ ὑψώσας σεαυτὸν ἐφ'
 ὑψηλῆς σύλης, eaue propter ingentes laudes & præconia
 confectaris & aucupas, attende, ne unquam hic ab ho-
 minibus corruptioni obnoxiiis immodice laudatus, eo-
 dem ipso tempore ab incorruptibili DEo miser præter
 expectationem habearis, μήποτε παρατῆς ἀφάρτης θεῶν τα-
 λανθῆς ἀθλίως παρ' ἐλπίδας. Epistola ejusdem libri CCXV:
 inquit: Absurdum sane fuerit corpore in excelsa stare
 columna omnibus conspicuum & gloriosum, infra vero
 cogitationibus detrahi, nihil cœlestibus rebus dignum
 apprehendentem, tantummodo cum mulieribus suaviter
 his diebus colloquentem (μόνος δὲ ταῖς γυναιξίν ἡδέως προσ-
 λαλῆναι) Antea enim homines sedulo alloquebaris, nunc
 ut plurimum mulierculas excipis. ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον τὰ
 γυναῖκα προσδέχη. Cum itaque Scriptura serpentem con-
 demnet, ut humi repat, terramque depascatur, cave
 ne tu illam condemnationem persolvas humi cogitati-
 onibus repens, terrenosque sermones perpetuo come-
 dens. Equidem humi repente ambitione nil magis
 terreum est.

Istum excepit Daniel Stylicus, Symeonis primum Daniel
 fervulus, & ad columnam expectare solitus, quam ipsi Stylica.
 gloriam Antonius eripit, & ad se transfert, nisi dicas, u-
 trumque sed diverso tempore Symeoni obsequia præ-
 stitisse. Hoc certum est, eum ex vico Samosatensi ad Eu-
 phratem natum, ad Mandram Symeonis columnæ pau-
 lo post adjectam accessisse, atque illius exemplo ad ean-

dem vitæ singularitatem accensum, postea vero per apparitiones illius fortius incitatum esse. Quod institutum executus, posteaquam a Gennadio Præsule Constantinopolitano Presbyter ordinatus esset, adjiciente Imperatore convenientissimum ascendenti donum, nempe cucullum Symeonis, quem delirus ille splendidæ hæreditatis loco ad Principem, Princeps pertæsus ad Danielelem transmisit, dignum tali olla operculum. Columna Danielis in Anaplo prope Constantinopolin juxta S. Michæelis ædem sita, ἐπιβάτην suum obscurum esse non permisit, qui sponte inter Ecclesiæ turbas aliquoties descendit, atque litigantium partibus tanquam DEUS ex machina se immiscuit, neve vilesceret, denuo ascendit, inque ea usque ad annum Leonis M. quartum subsistit. Laudes ejus integro Canone, auctore nisi fallor Theodoro Studita exponuntur, cujus Ode prima & singulæ strophæ istas quæstiones movent a nobis sine responso dimittendas, nempe ne ad *μαρτίαν* flectere cogamur.

Menæa
Decemb.
p. 92.

τί σε Δανιὴλ ὀνομάσομεν;
τί σε Δανιὴλ προσφθεγγόμεθα;
τί σε Δανιὴλ καλέσομεν;

Joannes Hunc justo ordine excipit Joannes ἐν βάσει ἰσάμεν ὁ
ἐν βάσει Seleuciensis, quem vitam Angelicam peregrisse tradunt, virumque fuisse DEO gratum & vaticinandi gratia præditum, aliorumque hoc institutum ambientium ducem. Et sane nos invenimus satis ipsum extitisse modestum, & ab illa τῆς ἀσκήσεως μανία, καὶ τῇ ὑπερ' ἀνθρώπων ἐγκρατεία sibi non parum temperasse, aliisque illius modestiæ sese magistrum, etiam cum increpatione sed φιλοσοφιογυαίτη præbuisse. Quod ex vita discipuli Symeonis Stylitæ II. deprehendo, quo loco exercitia illius diurna nocturna que nempe XXX. Psalmorum per noctem recitatio, & alia modo superstitio absit, non plane improban-

banda recensentur. Is postquam Symeonem juniorem multa sæva in isto *υποπιασµῶ* agitantem erudiisset, inque alia juxta se *εἴσει* stare permisisset, miracula a DEO petentem continuisset, tandem defunctus est, sua Symeonii vota & preces & commendationem, exemplo fatis egregio relinquens, nisi is ad superstitionem DEO parum gratam iis usus esset.

XXIV.

May. p.

323.

Sub hoc magistro Symeon II. Stylita adolevit, tantoque fervore illud institutum amplexus est, ut Joannem & Symeonem I. omnibus superare modis contenderet. Hinc postquam primo sine *εἴσει* ascensu inter reliquos Monachos Joanni subditos, Patris hujus præcepta audiisset, deinceps in *εἴσει ἐκ πλαγίῃ τῷ Ἰωάννη* erectam ascendit, eamque modio circumdatam, quem describit Nicephorus *ἢ δὲ μῶδος τῷ Συμεῶν ἡ περιβολὴ ξύλων καρύων πεποιημένῃ*. Modius e lignis nucis juglandis fabrefactus circumtegebat ipsum. Simul ac vero ascendisset, illico revelationes & colloquia cum Christo jactare, inauditæque exercitationi vacare cœpit, Joannem ea re superans, quod L. Psalmos per noctem recitaret, corpus catena usque ad corrosionem constringeret, sinistram manum perpetim ad cœlum extensam alteram pectoris percussioni servaret, tanta consistendi, aut vicissim annua sedendi pertinacia, ut dum tempestatis impetu modius ille sive *περιβολή* deiceretur, ille tamen immobilis staret, & ne quicquam ab exercitatione remitteret. Mox sexennio in Basi expleto Diaconatus gradum suscipiens & in columnam ex Basi sua cedens, non nudus aut conspiciendus in ea stetit, sed *σπίτη δερματίνῃ* tectus delituit, ut ne per aliquot quidem dies fenestras aperiret, *ἀλλ' ἀκριβῶς ἐπικλεισμένῃ ἀνομίλῃ παντασὶ δέμεινε*. Id quod & Joanne defuncto fecit, tristitiam ea sui occultatione testaturus. Dolori se daturus, inquit Nicephorus,

B 3.

mo-

modium alium nulla fenestella perforatum impositura columnæ subiit *Φωτὸς ἀποσεβῶν ἑαυτόν*. Qua sane vivendi ratione docetur, magnopere illos falli, qui Stylitas istos sibi ita descriperunt, quasi Iconum instar in columna steterint, quod minus possibile erat: & porro inde palam fit, istum vivendi modum, modo quis hominum celebritatem non magnopere expetat, nihil divini in se continuisse, sed a nostris turrium vigilibus quotidie exerceri posse. Miror interea hominem tantopere collaudatum ad Judæorum ceremonias denuo abiisse, quum thymiana DEO offerret, idque succenderet prunis licet destitutus. Sed ista lubens figmentis adscribo, ut & cetera miracula, quæ per impositionem manus, per vestis suæ tactum, per simbriam Sacci monachalis, per baculum palmeum, per pauxillum pulveris perpetrassè dicitur, licet iisdem adeo populi dementarentur, ut *κῆρας ἀνάφαντες καὶ τῆρας ἐπὶ καλάμων πηξάμενοι* ipsum venerarentur. Certe falsis hisce miraculis nec hostium nec terræ motus adeo poterat impedire, quin columnam sæpe inter illas concessiones titubantem relinqueret, & alium commorationis locum in Monte mirabili sibi designaret, quem Joannes Phocas atq; deinceps historiographi Sanctorum suo more satis accurate descriperunt. Hic monasterium condidit, & aliquas DEUM inter terræ motus placandi regulas cantionesque dedit, a nobis inter Melodos Græcorum recensendas: hic novam sibi columnam e prægrandibus struxit lapidibus eamq; conscensurus humeris Monachorum, præeunteque & amptruante matre Martha, usque ad introitum gestatur, ceremoniis utique jucundis eaque propter hic inferendis. Hæc locutus, ait Nicephorus *Θεζμοκνεβλλον* sibi jubet exuere, posthæc illorum voluntati se permisit, qui manibus partim gaudio gestientibus, partim tremulis apprehensum in novo collocant throno, sacrosancta Evange-

lia pectore gestantem. Qua ratione portatus totum ob-
iuit Monasterium, & cuilibet domunculæ benedictio-
nem imperitum, ne quidem præteriens cellam penuriam,
cui divitem commeatum precabatur. Antecedebat S.
Martha Symeonis mater, qui illum pro Patre spiritali
habens plausu exultabat, quod talem fructum tulisset. At-
que hoc modo vir sanctus in sacram suam columnam re-
ducitur. In ea constitutus innumera miracula edidisse
fertur nunquam sine aliqua insigni superstitione pepe-
trata, qualis erat illa Cononis fuscitatio, quam antequam
perageret, orantium more divam Deiparam invocavit:

ἢ τῷ Θεῷ μητὴρ ἡ Θεοποινα πάντων καὶ Θεοτόκος
ἢ τῶν ἡμῶν ἀναπλάσεως καὶ σωτηρίας μεσίτης.

At miraculum erat, quod illæ preces quousque ad vir-
ginem eas dirigeret, et si summopere eapropter expo-
stularet, non tamen exaudirentur, donec tandem ad
solum DEUM ac Servatorem destinarentur. Deinceps
Sacerdotii gradum suscipit, miranda patrat, contemtores
suos ulciscitur, varia per revelationem præscit, quæ si
vera essent, mirarer utique tam parum utilitatis inde
in religionem profuxisse, quæ ab eo tempore, iisque
quibus stabat locis, Symeon, indies indiesque pessum i-
vit. Hoc ad laudem proferunt, quod ætatis anno
LXXV. discessus sui per Angelum certior factus fuerit,
nulla si quicquam judico, necessitate; quum capulares
fenes non de cœlo sed e summet corporis contuitu illud
edoceri queant. Consilia & præcepta sodalitati suæ
data talia sunt, ut stipulas aristas probis nec paucio nume-
ro mistas fuisse facile agnoscas. Hac tamen hæreditate
suis relicta spiritum illi tradidit, cujus hactenus instru-
mentum fuerat, quem si quis Deum esse putaverit, is
reputet, num divinitati conveniat virtutis suæ commu-
nicationem ea ratione ac hisce Interpretibus, subque tali-
bus nugis ad posteros transferri. Columnam dñi ambarva-
libus

libus cultam adhuc stare Antonius Gonzalesius fidem facit. Nos unicam illius laudem e Menæis Græcorum depromptam atque fortassis a Germano Patriarcha Constantinopolitano in ipsum decantatam addimus, quæ quanta illius fuerit existimatio declarabit.

men. Maj.
p. 96. &
1099.

Στύλην γεγραμμένην ἔχουσαν τὰς γενικὰς ἀρετὰς θεωρεῖται
καὶ πράξει συμπεῖν πανόλβιε τὴν ψυχὴν ἀπετέλεσας τὰ
τῆς σαρκὸς νικήσας σκιημάτα καὶ ζωφορον ἀμφιασά-
μεν ὁ νέκρωσιν ὅστις ὡς φασὴ γενόμεν ὁ ἀειφανὴς πά-
σης γῆς τῆς πέρασι λαμπρὸν ἦ χάριτι.

Πόθω τῷ θεῷ τηρέμεν ἔτι τὴν σάρκα φορῶν καίλόν χῆν
περιθέμεν τοῖς ἀγγέλοις γέγονας προφανῶς ὁμοδιὰ-
τῶν ἐπιγείων μὲν ἀφιστάμεν, πρὸς ἕρανὸς δὲ
πάτερ ὑψόμεν, ὅθεν ἐληλυθας ἐνθα φῶς τὸ ἀδυ-
τον, διηνεκῶς θεῖας ἀναβάσειν ἀπεκτεινόμεν.

Beate Symeon, tu animam tuam in columnam omni-
bus virtutibus theoreticis & practicis exornatam
convertisti, dum carnis subsultationes vincens,
& mortificationem vivificam induens, omni ter-
rarum orbi gratia præluces.

Divino desiderio cinctus carnem licet gestans & pul-
vere amictus angelorum omnino hospes factus,
relictis terræ deliciis ad cælestia evectus es Pa-
ter. Unde divinis perpetim ascensionibus inten-
tus, illuc ubi inaccessum lumen, pervenisti.

Symeon.
III. Styli-
ta.

Huic Symeon III. Stylita jungi deberet, si de illius
tempore certi quidpiam nobis constitisset. Triodion
Gr. de Symeonibus ita modulatur: ἕρανὸς τετραφῶτος ἐ-
φάνη ἐν γῆ, ἥ δις δύο αὐτῆ Συμπεῖν ὁμονυμία, οἱ ἐν τοῖς σὺ-
λοις τρεῖς εἰσι. Historiographi Sanctorum tertii hujus no-
men in Calendariis Ægyptiorum tum apud Seldenum,
Calcasendum & Gratiam Simonium Archiepiscopum
Tripolitarum invenerunt, nec quicquam ultra: stipula-
tionem juxta facientes, sese die i. Julii vitam ejus ad-
mira-

mirabilem daturus esse, Quidam Cilicem faciunt, atque cœlesti igne tactum periisse tradunt, Moschum eo afferto sequentes. Joannes Busfierius Jesuita Gallus, jucundus & argutus Scriptor, Stylitam primum & huncce tertium confundit, Seniori adscribens quod isti contigit, causamque fulminis illam tradens, quod sanctissima víctima terrestrem ignem repudiarit, quasi vero fulmina in cœlo cusa, non e terrenis vaporibus conflata essent.

Ad ista tempora referendum opinor Julianum Moscho citatum Stylitam, Abbati Cyriaco familiarem, miraculorum patrandorum dono præditum, sed istud ad ineptias convertentem: cui enim bono prunæ ardentes, aut aquæ diffluentis guttæ in panno recluduntur? Ac forte illuc pertinebit Styлита Anonymus Hierapolitanus, Acephalus, & ex opinione Veterum Sanctus, cui Ephræmius Antiochensium Præsul conjecto in ignem pallio & illaeso, Orthodoxiæ fidem fecit, exemplo novo, & *πυρολατρειαι* post aliquot secula exortis in Apologiam & temeritatis excusationem cessuro.

Seculo VIII. Alypius Adrianopolitanus Paphlago imperante Heraclio columnam ascendit, tresque & quinquaginta annos in eadem stetit, tredecim in uno latere recubuit, ut adeo LXVI. annos in illa *σάσαι* compleret. Hanc ejus vitæ conditionem mater gravida præfensit, somniando se *ἀμνὸν ἐν τοῖς κέρασιν ἀνημμένας ἔχοντα λαμπαδάς* parere. Ego interpretationem somnii miror, homini ideo in columnam ascendendum fuisse. Ejus columna omni tecto caruisse videtur, ideo, quod Josephus Hymnographus scribit eum *ὁ παιθρον νηφστοῖς καὶ κάυσαν* expositum constanter perdurasse. Vitam cœlitus approbatam putant lumine columnam ambiente, quod ex igne fatuo conflatum fuisse existimo, longe aliter sentiente Hymnographo, qui divinitatem agnoscit, eumque *θεόφρονα*, actiones ejus *ἐν θεῶν ἔργα* dicit, eaque propter

Julianus
Styлита.

Alypius
Styлита.

Menæa
Novemb.
p. 109.

C

pter mortales ad cultum ejus cohortatur. ἀλυπίς τὸν εἶον τὸν ἐνθρον καὶ ἰσαγγελον δευτε θαυμιάσατε ἰσρεῖς βασιλεῖς καὶ μονάρχοντες, ἡμιγάδες, λαοῖτε θεόφρονες; & μιμησάμεθα τὰ τε τὰς πράξεις. Egregia hercle regum occupatio, ut circa columnam hominis decurrant & subfultent. Voë-
tius triplicem errorem in illius commemoratione com-
misit, dum eum Alupium, & Præfulem Adrianopolita-
num & Ciconitam dicit: quorum ut aliquid Typographo
adscribi queat, Præfulem tamen dicere haudquaquam
poterat, quoniam illa dignitate perpetuo caruit.

Voet. Pol.
Eccl. L. 4.
p. 1000.

Lucas
Stylita.

Seculo X. Lucas Stylita imperante Romano La-
capeno & Constantino Porphyrogenito in columnam
ascendit. Postquam enim regia castra infelici eventu
secutus, exercitus ad Acheloum fluvium ad internecio-
nem a Bulgaris cæsus, ipsa etiam Constantinopolis ob-
fisione cincta esset, Lucas turbulentæ vitæ pertæsus,
cum Presbyteratu Monachus induit, durissimisque
exercitiis deditus & ferro quodammodo involutus, je-
juniis etiam totus mancipatus tandem in aërem feces-
sit. At tempestatum pertæsus descendit, inque Olym-
pum divino oraculo monitus discescit, lapidem interea
capistrum instar perpetim in ore gerens: λίθον ὡς τινὰ κη-
μόν ἐκασίως ἐμβαλὼν τῷ σώματι. Inde Constantinopolin,
rursusque Chalcedonem concedens columnam, in qua
ante steterat repetiit, innumera, si Synaxario fides, mi-
racula perpetravit. Vitam illius, Vates sequenti elogio
non inconcinno decoravit:

Menæa
Xbr. p.
95.

Πρὸς ὕψος ἀνήνεγκε τὸν Λυκάην σὺλτῶν
Λυκάης δὲ τὸν νῦν πρὸς Θεὸν, πρὸς ὃν τρέχει.
Columna Lucam in altum extulit
Sed Lucas mentem Deo, ad quem vadit.

Hi potiores sunt, quos fama & credulitas homi-
num utraque vana nobilitavit; ceteros temporis angu-
stia exclusus nondum indagare licuit, quos non pau-
cos

cos esse Christianus Lupus hinc existimavit, quod Abdalas Saracenorum Princeps omnes Monachos Inklusos Columnicolas vectigales fecerit: cui tamen regeri posset, per Columnicolas eos denotari Monachos, qui in Mandris & Monasteriis columnas cingentibus domicilium fixerant, non quasi magnus eorundem numerus Theopanis ætate superstes fuisset.

Exinde vero palam fiet, talem gloriæ expetendæ viam difficilem esse, & parum tritam, & incremento religionis non multum profuturam, etsi Theodoretus id summopere jactet: quidni enim insignis eruditusque Præsul in hoc ipso judicio pari compendio falli poterat, quemadmodum alibi deceptum, eaque propter, non sine ratione tum ab antiquis, quam Garnerio notatum esse, merito recordamur.

Atque ea propter te, *Clarissime Jæchere*, ad talem Basin non solum accedere nolo, sed si jam in ea stares, pari conatu abstrahendum putarem, qua Ardarurius Antiochenus Præses Symeonem ex suo præcipitio abstractum voluit. Melior tibi & excelsior quin & gloriosa magis statio patet in ea, quam jam ascendis, *Basin*, eaque Tibi, & splendida genti tuæ, & Reipublicæ commoda futura, quod inde colligo, quia non tam honorem & decus inde usque repetis, sed tua illuc merita & eruditionem defers. Equidem ad istud fastigium primum tibi gradum natalium splendor struxit, eorumque majorum merita, qui insignis doctrinæ, & sapientiæ, honorumque gestorum laudibus omnem per Saxonicum orbem vigent. Virilis tuæ gentis sexus ac ista nobilissima Fratrum biga, quæ excellentissimos & spectatissimos Viros *Wolfgangum Jæcherum* potentissimi Sarmatarum Regis Consiliarium, & Patriæ Senatorem, Ædilemque gravissimum, tuumque Patrem *Joh. Christophorum* urbis & Civium, commoda insigni

vid. Joh.
Garnerius
in the-
od. T.V

commerciorum cura promoventem complectitur, jam pridem statuas meruit optimas, nec ulli Demetrianæ cladi subjiciendas, quorum consilia ut perpetim Republicæ profunt, ita sane perpetuo aeri, aut monumento omne metallum superanti sunt commendanda. Beneficia quibus illi egenos juvant, Inopesque sustentant, ea sunt, ut ne auro quidem, sed pectori hominum gratissimorum sint inscribenda. Sexus sequior quo religiosior, tanto sanctius tantoque nobiliter suarum virtutum receptaculum meretur. Efferant antiqui vates Martham Symeonis Stylitæ matrem, tuam vero *Margaretham*, O! quantum matronarum decus, mihi celebrare fas sit, quæ suam exornat domum, exhilarat civitatem, nobilitat templum, & quod maximum est, Te suis precibus pulcherrime fingit & efformat. Verum licet his insistas gradibus, ingenii tamen & felicitas & industria te jam pridem extulit, ipsa vera pietas, ut cum Paulo loquar, καλον̄ θαυρον̄ tibi exædificavit. Loquantur illa Ruthenensium & Zittaviensium Gymnasia, quique sua dexteritate gubernacula eorum tenent Cl. Viri Goldneri, Hoffmanni alii, ac fatebuntur, te ex Jovis cerebro natum, Mercuriali statua multo sibi chariorem fuisse. Pulcherrimus sane gradus erat, ad quem nuper laudabilis plane pietas te deducebat, quum tuo olim Doctore Abrahamo Paulo Konigio, Theologiæ Candidato, egregio viro suprema sacra faceres, atque oratione erudita & eleganti & affectuosa, atque sincerissimæ mentis repræsentatrice illius cineres cohonestares, & velut purpura contactum sepelires. Certe hoc ipso gratæ mentis officio, dum illi *συλον̄* erigebas, tibimet ipsi æternum grati Civis monumentum excitasti. At quum plura sint ornamenta, quæ patriæ & Academiæ suo tempore per te ostendentur, indulgentissima ingeniorum mater Academia hujus virtutis gnara Te in illustri

ftri fuorum Magistrorum orchestra locat, & purpura vinctum trahit, & votis illigat, haud quaquam e suis manibus dimissura, quoad in illum enifus fueris locum, teque publicis gratulationibus excipiendum dederis.

Quod igitur Tibi *Cl. Facherei* felix faustumque fit, adimple bene tibi cupientium vota, locumque per se splendidum tuis virtutibus exorna, quodque veteres statuarum artifices fecere, aureum caput affer, & ad instar Solis hos radios diffunde. Ego dum recordor, ad Symeonis & Alypii columnas, ipsas processisse stellas extinctisque iis, nihilominus perstitisse, hocque suo jubare perennem istorum nomini lampadem attulisse; De Te plane auguror, non perituri syderis flammam sed divini Flaminis ignem ad te perrecturum, collustratoque animo, externum fortunæ decus ita additurum esse, ut inter optimos quosque & eminentissimos Stylitas jure collocari queas.

Not. ad p. 4.

MOysiacos populos non sine exemplo Aëreos dixi, quia in libero aëre habitabant. *Valesius* existimavit Symeonem Stylitam a Theodosio Imperatore *ἀέριον καὶ πανάγιον μαρτυρα* dictum esse, in quo nimis liberalem se praestitit. Legitur istud elogium apud Evagrium Lib. I. c. 13. ut appareat ipsum Scholaasticum ventosum hominem inque virtutibus Symeonis nubes captare solitum id ex suo penu protulisse. Quidni enim *Lupus* in citatione epistolæ regiae ad Stylitam scriptæ istum titulum protulisset? Et sane Evagrius sui oblitus est, quum Symeonem ita appellaret, cognomento quippe hæreticis proprio, siquidem Aëtiani illud ignominiae tulerunt ut, *ἀέριοι θεανοβάμους, θεανοθόου* dicerentur, v. *Philostorg. & Godofr. Lib. V. Dissert. p. 362.* Sed sæpius

nomen, quod aliis ignominiosum, aliis inditum personis, decorum & laudabile redditur. De Martyris titulo, quem cum Aërii voce conjunxit Evagr. non dicam, gnarus litium eapropter inter *Thomam Hurtadum* & *Raynaudum* & *Marchantium* agitarum, quas ita componendas putat *Combesius in Manipulo Rerum Constantinopolitanarum* p. 215. ut indulgentius ea in re agatur.

ad p. 6.

In Styliarum origine repetenda quidam ad gentes, quidam ad Christianismi primordia abeunt. Illi columnam Mænianam huc pertrahunt, sed inepte, quia illa ædibus erat contigua, & pars veluti quædam communis Mæni reservata. Alteri Divam Virginem Mariam Jacobo Apostolo in columna marmorea apud Cæsaraugustanos apparentem, ædemque flagitantem, auctricem faciunt. *Tamajus a Salazar* ad Dextris, Maximi, Auli Hali, qui inter Historicos probos spectra sunt, & a præstantissimis viris pridem irrita, auctoritatem provocat, idque eo confidentius quod Calixtum III. Pontificem fabularum Patronum, & *Ludovicum Lopezium* data opera de templo columnari agentem, suffragatorem habet. v. *Tamajus Martyrol.* T. V. Quare licet ea sint falsa, istud nihilominus certum ante Symeonem aliquos Columnicolas extitisse, etsi illorum κίονες turrium aliquando, aliquando columnarum figuram arctius exprimerent. Hinc merito inter Stylitas deduco Antonium M. Seculo adhuc III. per quatuor lustra in turri deserta, ad quam scalis ascendendum erat, commorantem. οἱ ἔξωθεν ἐνόμιζον τῆς διὰ κλιμακῶν εἰσὴ ληλυθέναι. Vid. Athanasius in vita satis luculenter descripta T. II. p. 460. Tantoque minus rejici possunt Gregorii Nazianzeni versus, quasi in Monachos Columnares Seculo IV. extantes scripti non fuerint, quod a *Leone Allatio* factum, qui verbum σήλω eapropter detorquet & evertit. De Symeonibus p. 10.

p. Nico-

ad p. 15.

Nicolaus du Mortier Tornacensis in Etymolog. Sacris, licet Pontificius homo, mecum sentit, dicendo, Stylitas magis admirandæ, quam imitandæ vitæ viros extitisse, in quo *Godellum* episcopum Gallum non ignobilem suffragatorem habet. Quod iudicium ex parte verum: nullam enim admirationem admitto in actionibus a quolibet ferino homine facile perficiendis. Bene *Samuel Basnagius* in Annal. Eccl. Polit. ad A. CCCCLXIV. Quid quæso ad pietatem afferrent emolumentum, columna pro domicilio, & gravissimi ponderis catena pedum alteri subnexa, & immoderati jejunii affectatio, aliaque ejusmodi bene multa, quæ a Christo Apostolisque nec observata sunt, nec imperata esse scimus. Merito itaque simplicitatem illius ætatis miramur, quæ istas vesanorum hominum, inter sordes, & vermes putrescentium, columnas, vel membra, oculis etiam dignata est, quod *Cl. Villetta* Parisiensis Canonicus in Annal. Eccles. ex suo fortassis ingenio asseruit. p. 343.

ad p. 17.


Vita *Alypii* a *Surio* post *Lipomannum* edita, quamque a *Simeone Metaphraste* scriptam esse *Allatius* negat, satis edocet, illius ætatis Præsules Stylitarum vitæ non admodum favisse: quo factum ut *Alypii* conatus varii a Præsule *Adrianopolitano* sæpius impedirentur. Impia certe & blasphema erat *Alypii* allocutio ad columnam, in qua, dejecto *Taureleontis* simulacro, crucem deinde erexit. Quum vero nos ex *Menæis* suspicaremur, eum sine tecto in columna vixisse, id verum esse deprehendimus ex vita per *Surium* publicata. Equidem latuerat sub quadrata camera columnæ imposita: *ascendit, seipsum affigens columnæ, paucis tabulis conclusus in capite columnæ, adeo, ut ne sufficeret quidem ad hos ut re-*
cum-

QX II: 192.5

cumbere posset. Verum quum postea tectum istud per noctem a nebulone lapide petatum esset, isque eum lapidem a malo genio projectum putaret, dum ait : *ut sciat is me telum infantium putasse plagas vestras, ecce humi dejicio tectum, quod est supra caput meum.* Hinc petit a matre securim, qua accepta septi tectum a quatuor locis dissolvit, & humi disjecit, & mansit sub dio usq; ad extremum diem suum. Pertinent ista ad vitam Columnarium rectius cognoscendam, utque gnari simus diversæ figuræ cellis Stylitas usos fuisse. Symeon enim *σκέπη δεσματινήν* habebat, modii vel Cumuli rotunditatem exhibentem, quum Alypius quadrata, eque asseribus compacta uteretur. Idem ea re Symeonem imitatus est, quod matrem secum habuit necessaria suppeditantem, cujus loco alii quosdam juniores ministros adhibebant. Erant præterea ad basin columnæ alii ascetæ cellis inclusi, quibuscum ipse & Novi Fœderis verba pertractabat, & hymnos alterna vice canebat, quæ, tamen in celebritate Christianorum multo convenientius peragi potuissent.



X2373834



6. K
415
45.

723
Pi
1925

DE
SANCTIS
COLUMNARIBUS
BREVI SCRIPTURA
DISSERIT
JUXTAQUE
NOBILISSIMO ET PRÆSTANTISSIMO
VIRO
CHRISTIANO GOTTL.
JOECHERO, LIPS.
IN BASIN MAGISTRORUM
ACAD.
FELICITER ASCENDENTI
ET FATA ET MERITA CO-
LUMNIS DIGNA
APPRECATUR
M. URBANUS. GODOFR. SIBERUS,
SS. THEOL. BACCAL. ET AD D. TH.
ÆD. DIAC.



LIPSÆ,
Impresit ANDR. MARTIN. SCHEDIUS.
MDCCXIV.

